



1718,24 a 26.

28

CHRISTIANI WILDVOGELII, JC.

SERENISSIMI DVCIS SAXO ISENACENSIS CONSILIARII INTIMI
ET ANTECESSORIS, COLLEGII IVRIDICI SENIORIS ET
H. T. DECANI

DE
**SUPER VACVIS OBSERVA-
TIONIBVS**

ad L. IV. §. 6. d. recept. arb.

PROGRAMMA INAUGVRALE

P. P. d. XIIX. SEPT. A. C.
M DCC XIIX.

J E N Æ,
LITERIS MVLLERIANIS.

Joh. Sal. Braunnequell



CHRISTIANI WILDOGELLII

SERENISSIMI DUCIS SAXO-RESVENSIS CONSILIARIUM INTIMUM

ET AUSTRIACAE, COLLEGIUM VINDOBONENSEM ET

H. T. DECANUM

DE

SVPER VACANTIBUS

TIONIBVS

ad L. N. S. d. q. recept. arb.

PROGRAMMA INAUGURALE

P. R. 4 XIX. SEPT. A. C.

M DCC XLII

LEONARDUS MALLERIANUS



Leges non verbis, sed ipsis rebus
 se imponere, gravissime memo-
 rat augustissimus romani juris e-
 mendator & auctor Justinianus,
 in *l. 2. C. commun. d. legat.* Re-
 ctissime sane, cum & alias tralatitium sit, quod
 res non sermoni, sed sermo rei subjectus esse de-
 beat, uti habetur in *cap. 6. d. verb. signif.* nec in-
 tentio verbis deserviat, sed verba intentioni, se-
 cundum dictum Gregorii in *can. 11. caus. 22. qu. 5.*
 Hinc jam laudatus Imperator subtilitatem illo-
 rum merito rejicit, qui non sensum, sed vana no-
 minum vocabula amplecti desiderant, in *l. 2. §. 1.*
C. d. const. pec. Ex hoc ipso fundamento profuit,
 quod sacratissimus hic legislator in *l. 4. §. 6. d.*
recept. arb. inanem verborum scrupulositatem
 tollere voluit, quæ circa arbitrorum lauda tunc
 frequentabatur, atque nullam differentiam esse

constituit, si quis post arbitri definitionem subscripserit, ἐμμένειν, i. e. permanere, vel πληροφθεῖν, i. e. implere, vel δίδουαι, i. e. dare, et si non adjecerit ὁμολογῶ, i. e. spondeo, & sic omnino actione in factum eum compelli debere, ait, ea facere, quibus consentit: cum non sit verisimile, illum hæc propter hoc scripsisse, ut tantum non contradicat, sed ut etiam ea impleat, adversus quæ obyiam ire non debet. Hinc SUPERVACVAS vocat tales OBSERVATIONES, easque ab aula decessisse scribit.

Quod hac in lege sapientissime dixit gloriosissimus Imperator, idem in aliis juris articulis laudabiliter constituit. Cordi enim ipsi quam maxime fuit, veteres juris ambiguitates & tricas damniferas e medio tollere, atque per hoc justitiæ intemeratum cursum quam longissime provehere: hinc in *l. 37. C. d. donat.* SUPERFLVA VERBA quæ in donationibus apponi solebant, scil. *sestertii, nummianius, asinum quatuor*, penitus esse rejicienda censet, addito hoc prudentissimo epiphonemate: *Quid enim verbis opus est, quæ rerum effectus nullus sequitur?* adeoque sanxit, nullo modo eorum verborum mentionem, vel in Imperialibus donationibus,

vel

vel in omnibus aliis de cetero fieri: sed & si quisquam per verbositatem tacite aliquid inscripserit, sive remiserit, nulla sit differentia.

Quod Justinianus in allegata lege 4. C. d. rec. arb. *superuacuas observationes* nominat, jam ante eum Constantinus Imp. *inanes* vocat, atque hinc in l. 15. C. de testam. indignum esse ait, ob INANEM OBSERVATIONEM irritas fieri tabulas & judicia mortuorum, adeoque placere, ademptis his, quorum imaginarius usus est, institutioni heredis, verborum non esse necessariam observantiam, utrum imperativis & directis verbis fiat, an inflexis: nec enim interesse, si dicatur: *heredem facio, vel instituo, vel volo, vel mando, vel cupio, vel esto, vel erit:* sed quibuslibet confectam sententiis, vel quolibet loquendi genere formatam institutionem valere, si modo per eam liqueat voluntatis intentio.

Eodem porro loquendi modo utitur Justinianus in l. ult. C. d. emancip. liber. quando VACVAS OBSERVATIONES, quæ in emancipationibus custodiebantur, venditiones nimirum in liberis personas figuratas & circumductiones & injuriosa rhapsimata, quorum nullus rationabilis inveniatur exitus, quiescere jubet.

Sic quoque Imp. in §. 1. *l. d. verb. obl.* olim quidem solennia verba in stipulatione obtinuisse, postea vero Leonianam constitutionem, (quæ est *l. 10. C. d. contr. & committ. stipul.*) latam esse, memorat, quæ solennitate verborum sublata sensum & consonantem intellectum ab utraque parte solum desideret, quibuscumque tandem verbis expressus sit.

Neque in actibus solum privatorum, vacuas ejusmodi observationes rejecerunt celebrati modo Imp. sed & ad judicialia negotia & actus publicos tuam extenderunt sollicitudinem. Cum enim in foro litigia exercentibus, certe formula antiquitus essent præscriptæ, quas observare istos oportebat, adeo, ut qui in una syllaba errasset, causa caderet, Constantinus A. istas juris formulas, aucupatione syllabarum insidiantes, de cumctorum actibus radicitus amputavit, veluti appareret ex *l. 1. C. d. formul. & impetr. subl.*

Ut vero antiqua ista verborum sempulofitas justissime ab Imp. abolita, & hodierno ævo, juris amica simplicitas rursus sit introducta, non tamen omnis cura vel studium in rite concipienda actione, aut formanda petitione actoris, vel rei, cessat, sed tum ordo proceden-

cedendi, quoque forma proponendi, partibus pariter ac judicantibus quam maxime observandus est, ne nullitas processus emergat, aut decretum feratur: *wie gebeten abgeschlagen.* Nec igitur supervacua vel inanis observatio dicenda est, illorum, qui postquam legalis scientiæ fundamenta posuere, ad causas orandas animum appellant, & processus judiciarii formulas sibi reddunt familiares, atque hac ratione praxin cum theoria (uti vocant) conjungere allaborant. Fecit id ipsum pereximius, quem jam in cathedram producemus, Jurium Candidatus

JOANNES SALOMO BRVNN- QVELL,

de cujus ortu, vitæ studiorumque progressu, pauca quædam dicenda veniunt.

In lucem is prodiit *Quedlinburgi*, anno MDCXCIII. die secundo & vicesimo Maji, a viro doctissimo, JOANNE HENRICO BRVNNQVELLIO, multorum annorum mentis inter gymnasii patrii collegas spectato, & moris

moris honesti foemina, BARBARA DOROTHEA, haud obscuro hic loci MICHAELIORVM genere oriunda, laetis auspiciis procreatus. His parentibus ejus eximiis nihil prius atque antiquius fuit, quam ut animus filii ab se dilecti bonis non minus literis, quam virtutibus ornaretur. Statim igitur à tenerioribus annis, idoneis studiorum adjutoribus, instituendum eundem erudiendumque tradebant. Praecipue autem viri in juventute formanda exercitatissimi, atque patriam scholam regentis, M. TOBIÆ ECHARDI, doctrinam, benevolentiam & fidem praedicat, harumque se fructum uberimum cepisse, grato pioque animo proficitur. Sic enim effectum est, ut anno MDCCXII, jubente id matre prudentissima, Jenam nostram ingressus, ac literatorum civium albo inscriptus, nequam in eorum numero atque ordine habendus veniret, qui cruda & rudia adhuc studia in academias passim propellunt; probe autem didicerat Noster, ac identidem reputabat, disciplinae legitimæ fundamenta, sive philosophiæ ac civilis historiæ instituta, admodum vacillare. Illam igitur in omnibus ejus partibus a magistris

stris dexterimis, JO. JACOBO SYRBIO, & EPHRAIMO GERHARDO; hanc autem a STRUVIO nostro excellentissimo, Serenissimorum Saxonix Ducum, nec non Bâruthensis Marchionis Consiliario, ut & à RICHARDO, Bibliothecæ præfecto amplissimo, ea lege edoctus est, ut cum publici juris notitia eam conjungeret: quem ipsum in finem inter laudati Struvii dissertationes ad Germanorum historiam attinentes, eam in publica disputatorum palæstra defendit, quæ decima quinta ordine in memorato jam opere collocatur. Neque parum se STOLLIO nostro, Philosophiæ professori celeberrimo, & SCHMEIZELIO, inter magistros philosophos claro, ob rei literariæ, geographiæ, artisque, ut vocant, heraldicæ placita, luculenter ac utiliter explicata, debere, affirmat. In ipsa deinde jurisprudentia, primario semper exulta, celebratum antea, & inter Altorffinorum mox professores suo merito cooptatum, sed, quod dolendum, e vivis nuper ereptum, GERHARDVM, tam feliciter præceptorem & ducem secutus est, ut, confectis scientiæ hujus spatiis, dissertationem solennem, *de abolitioni-*

b

bus

bus criminum, illo præside tueretur. Circum-
 acto deinceps triennio, studiorum suorum is se-
 dem Lipsiam transtulit, Jureconsultorum ac
 Doctorum celeberrimorum LVDERI MEN-
 CKENII, FRIDERICI PHILIPPI & RE-
 CHENBERGII junioris præceptionibus atque
 monitis innutritus. Atque sic denuo, anno
 MDCCXVI. urbem natalem repetiit, sicut iusti
 & æqui adhuc scientia, sic fori in posterum ex-
 ercitantione ac usu, ad promovenda patriæ atque
 clientum commoda, se præparaturus. In eo
 autem dum esset, ecce juvenis virtute ac ortu
 nobilis, HENRICVS CASPÀR AB VSLAR,
 Brunsvicensis, fidei ejus & curæ commendaba-
 tur, quo cum anno MDCCXVII. in Salanam
 hanc nostram pedem retulit, & inter tot aliorum
 operas, BRÜCKNERI nostri, excellentissimi Ante-
 cessoris recitationibus publicis, cum Vslario suo
 promptus & assiduus non solum interfuit, sed &
 commilitonibus nonnullis privata industria, ju-
 rium præcepta, in majorem sui perfectionem, tra-
 dere haud intermisit. Jure igitur suo, hic Candida-
 tus egregius, ad Doctoris titulos dignitatesque
 adspirat: quippe qui ab omnibus nostri ordinis
 ten-



tentatus, se talem exhibuit & probavit, ut eundem in Jctorum suggestum, die crastino, hora consueta, producere, & Vobis, Pro-Rector Magnifice, Proceres academiæ excellentissimi, sacrorum Antistites venerandi, hospitesque ac juvenes ornatissimi. LEGEM XVII. C. DE PACTIS enucleaturum, ostendere, haudquaquam dubitaverimus. Quam honorificam vero Nos singulorum præsentiam arbitrabimur, tam nostra vicissim pietas in referenda gratia, curæ nobis cordique futura est. P. P. sub sigillo Facultatis. D. XIIX. Septemb. An. MDCCXVIII.



* (o) *


tenent, se calum exhibent & probant, in cui-
 dem in honore iugitum, die crastino, hor-
 conuers, producer, & Vobis, Pro Rector Ma-
 gistris, Proceres academice excellentissimi, Sa-
 crorum Antistes, venerabiles, hospitesque ac su-
 venes omnissimi, REGEM XVII. C. DE PA-
 CIS sanctissimum, ostendere, handquodam
 dabaverimus. Quant honorificam vero Nos
 sagularum presentiam abspiciunt, tam no-
 stris vicissim pietas in referenda gratia, cur no-
 bis cordique futurus est. P. P. sub sigillo Pa-
 culm. D. XIX. Septemb. An. MDCCXVIII.



X 2403645







1718,24^a 26.
28

CHRISTIANI WILDVOGELII, JC.
SERENISSIMI DVCIS SAXO ISENACENSIS CONSILIARII INTIMI
ET ANTECESSORIS, COLLEGII IVRIDICI SENIORIS ET
H. T. DECANI

DE
**SVPERVACVIS OBSERVA-
TIONIBVS**

ad L. IV. §. 6. d. recept. arb.

PROGRAMMA INAUGVRALE

P. P. d. XIII. SEPT. A. C.
M DCC XIII.

JENÆ,
LITERIS MYLLERIANIS.

Joh. Sal. Breuniguel

